, cum

re, & Corpus

ns, cum

Evang.

In Fest. Epiph.

com. Epiph.

com. sequ.

com.

27 Sabb

[redacted]

10 / 15 c / 15
———
50
50

Angefangen
und nicht fort-
gesetzt

FLORES EX VIRIDARIO PALLADIS JAGELLONICÆ IN

Coronámentum Temporum
XI. VV. DD. PRIMÆ LAVREÆ CANDIDATORVM
Post rigidum examinis certamen
DECERPTI
ET DVM
A
Clarissimo ac Excellentissimo Domino.

D.M. STANISLAO KUTLINOWSKI,

Philosophiæ Doctore, ejusdemq; in Collegio Minori Brzezniciano Professore, Contubernij Jagelloniani Seniore.
Artium Liberalium & Philosophiæ
BACCALAUREI
In Augusto D. Jagellonis Archilycæo.
Præsente Magnorum Hospitum Coronâ,
Ritu Solenni
RENUNTIARENTUR.
PER
FRANCISCUM de Paula KIELAROWICZ Crac.
Ejusdem Laureæ Candidatum.
Metricô Calamo

ADUMBRATI.

Annô quô
Flos Nazarenus Orbi apparuit. 1722. *Die 11. Aprilis.*

CRACOVIÆ, Typis UNIVERSITATIS

In Stemma Illustrissimum PERAUGUSTI CAPITULI Cathedralis Cracoviensis.



Nullus sustentat trinas cervice Coronas
Atlas; nam fertur Lechicus Orbis eis.
Stemmate resplendent diademata nonq; Tiaræ
Ut tutè, Reges dicere quisq; queat
Prælatos. Quorum plantis cum germine flores
Subijcimus, sertis quod precor inde decus!

ILLVSTRISSIMIS, PERILLVSTRIBVS, & REVERENDISSIMIS DNIS. D. D. PRÆLATIS & CANONICIS, TOTIQ; PERAUGUSTO CAPITULO Ecclesiæ Cathedralis Cracoviensis,

DOMINIS & PATRONIS
Observandissimis.

VT exili operi meo altum inveniam, ut floribus vigorem decoremq; conquiram, non aliò me recipere debebam, quàm ad honoris Vestri fastigium. ILLVSTRISSIMI, PERILLVSTRES & REVERENDISSISIMI DOMINI *Quidquid etenim vestris approximat gratijs, illud culmine coronatis, & quod se vestro subijcit favori, illud attollitis. Coronæ alijs in voto, Vobis in manibus; indicant eorum intenta semper coronari, qui Coronatum trinô Nitore* VAVELLVM *venerantur. Non Romanum*

nos

nos allicit Capitolium, quod quamvis suis superbiat triumphis, cedit Sarmatico; in quo & magnæ Regum Præsulumq; asservantur Exuviæ; & viva virtutum spectantur simulacra. Vos inquam in hac Augusta Poloni Orbis summitate videre licet & altô sangvine conspicuos, & meritis maximos. Sublimes ILLVSTRISSIMARVM FAMILIARVM Arbores per Orbis Lechei spatia protensæ singulæ ad Coronatum hoc Culmen suos exporrigunt ramos. Decus suum reputant accrescere VAVELLO Vestris CORONIS submittere fastigium pro sui ducunt puncto honoris. Neq; alibi pulchriùs renitent Magnarum PROSAPIARVM Insignia, quàm si in hoc Augusto Culmine appensa videantur. Hic ROSARVM recreat odor, color rarò terris spectatus purpurissô, intuentium oculos rapit in stuporem. ASCIA sui honoris Architecta, laboribus & operibus expolita refulget. HASTÆ fortibus concessæ Viris pro Aris decertantes, GRYPHVS non jam aurum, sed illô pretiosiorem custodit Libertatem. CAPVT aurô melius suô & Majorum pretiô resplendet. FALCIBVS messis gloriæ demetitur, & in Annosa Meritorum QVERCV spolia famæ reponuntur. Si altiùs rerum scrutator attollatur oculus, etiam Cælum suum habet VAVELLVS. Inter tot lucidissima Sarmatici Orbis sidera non postremum Luminare LVNA, velut inter ignes fulget minores; plenitudine Meritorum Patriam, & Ecclesiam adaugens. Quodsi per plura circumferetur penna: hìc AGNI resplendentem innocentiam, aureum vellus publico Commodo referentem observabit. Hìc in SCVTO Virtutum & Meritorum exaratas imagines singulas distinctim videre, TVBARVM resonantiam circumscribere, profundum FLVVIORVM metiri, surgentem ad Æthera cernere SAGITTAM, gloriosa PEDIS numerare vestigia, arduum. CORVOS in alto meritorum consistentes attingere perdifficile. Tantos VAVELLI Coronati auget splendores CRVX, quâ ut frontes, ita fortes decorantur. Prodit magnanimus LEO ipsis æmulus Astris, Irruit titulis generosus avitis eques, qui dum ferit ungulâ Campum, ipse cursus illi addit decorem. Hìc solida famæ & perennaturæ gloriæ vestigia imprimit SOLEA. Quæ decora sequi pennâ cæte-

ro-

rorumq; Armorum robur & splendorem exprimere magnæ molis Opus est, mentisq; elevatioris capacitas. Hoc attamen gloriæ Vestræ punctum tangere mihi conceditur, quòd & Lucinæ & Minervæ locum VAVELLVM *advertam contemplerq;* ILLVSTRISSIMO *etenim Generi Vestro, formam additis, Celsissimo sangvini candorem immiscetis. Gemmas certè* CORONÆ Vestræ *non excludunt immò quas Atlanticus labor frontibus expressit, has Ternioni* CORONARVM *ducitis inserendas. Quis enim non videt? quos pro Nomine labores, pro Aris curas, pro Sacris onera non suffertis. De Coronato Colle futura prospicitis, præsentia mala avertitis. Etiam crucem sollicitudinum* CORONIS *his superimponitis, dum publica negotia anxiô conatu ad optatum deducitis finem. Hinc meritò in Saxeo quamvis culmine* PRÆLATORVM *frontibus enascuntur Tiaræ; manibus efformatur Pedum. Assurgit immò major in dies honor ijs, qui in* VAVELLI *arduo positi, nonnisi ad maxima possunt aspirare. Ille equidem recessus Vavellanus apex censetur, in quo Augusta honoris majestas sacri decoris insignia dispensat distribuit. Nemo ad trinum pretium non præmiatus, nullius spes ad Diademata non Coronatæ. Quisq; sibi in comitem adscivit honorem, qui pedem fixerat in vavello. Quisq; sociam eminentiam provocavit, qui hoc in culmine stare didicit. Quò etenim ab hoc alto processus! nisi in curules; quod Capitis reclinatorium? nisi Tiaræ, tam Vavello connexæ quàm lumen Soli, Virtuti cultus, honoris adoratio. Quinimo contingit aliquandò Principem siderum caliginosâ eclypsi involvi, at* VAVELLVM *titulis destitui, nunquam visum, compertumq;. Ad radicem quippè Montis hujus oculos convertendum est è quo honoris lymphæ si in dies hauriantur, non deficiunt, si poscantur in horas affatim se communicant prætendentibus. Hoc honoris Vestri Culmen honorifico innititur fundamento, in quo quidquid stetit, stetit eminenter, quidquid fundari cupijt, fundatum honorificè. Et meritò talis ac tantus Virtutibus Vestris contigit honor, quæ uti solidissimæ, fundamentalem locum poscunt ac prætendunt. Iustè Generis* ILLVSTRISSIMI *splendor in hoc repercutitur Colle, nec ab æqui orbita, quòd tot Capitum Sapientia in* VAVELLO

sibi

sibi ædem construxerit honorificam. Ad hanc igitur cum floribus è Palladis Iagellonicæ Vireto decerptis recurrit Clientalis promptitudo. Hic ostium pulsat, ut florilegio huic favores vestros gratiasq; acclinetis, Benigniores favonij certè à Montium collibus prosiliunt, adsint & nostris floribus à VAVELLO. *Immaturi sunt, quia nova Palladis plantatio, sed spiramine gratiarum Vestrarum maturescent. Vix folia eruditionis indicunt, sed ornabuntur sub Nomine Vestro in lucem publicam prodeuntes. Quis violas aut lilia flores hos non censebit? quos honoris Vestri lumine profundetis. Quis primas laureas nobis non adscribet? qui sub* Magno *Nomine Vestro incipimus strictiùs Academicæ Palladi militare. Non procul abest, ut profectûs literarij Capitolium conscendamus, si votis nôstris acclinem* VAVELLVM *advertemus. Submittimus florum nostrorum fasciculos, laureati honoris messem eò relaturi majorem, quò in adorationem tantorum Nominum existimus proniores. Frontium nostrarum decus* PERAVGVSTO adscribimus CAPITVLO, *ne evanidum nitorem in capite ferre videamur. Quinimo molimen meum coronari faustiorî volens eventu,* Trinæ CORONÆ *decus mihi exopto propitium. Aureum addetis pondus, gemmeum feretis valorem, adamantinam Operi concedetis æstimationem, si Pòëtico concentui aures, Lucubrationi oculos, operæ benevolentiam. non negabitis; clien tali votô annîs, honore, gloriâ, quàm diutissimè Ecclesiæ ac Patriæ vigentes. Ita precatur*

ILLUSTRISSIMARUM, PERILLUSTRIUM & REVERENDISSIMARUM DOMINATIONUM VESTRARUM

Cliens devinctissimus

Author Operis.

D. JOANNI CANTIO,

Sacræ Theologiæ DOCTORI & Professori
Scientiarum Oraculo
ORBIS POLONI PATRONO.
Academiæ Cracoviensis Patriarchæ,
Gratiarum Fonti

ODE VOTIVA.

Cum Lemate,

Spirabunt floribus aræ.

GEmma Doctorum pretiosa, Gentis
Lecheæ magnum decus & Patrone,
Præstò nunc adsis propriæ cohorti;
Quæ Tibi supplex,
Ad Sacrum bustum dicat eruditæ
Palladis flores nitidos amore,
Expetens multîs precibûs, prehendas
Fronte serena.
Et quod ex grandi tulimus Minervæ
Prælio, laurus virides ferendo,
Hoc Tuis plantis damus en Paternis,
DIVE JOANNES.

Palmâ Tu Cæli revirens perennis,
Semper æstatem placidam tenendo
Explicas pulchrè viridem colorem,
Dum satiaris,
Solis aspectu Themidem juvantis,
Aureîs semper frueris minutîs,
Sentiens nunquam Boream potentem
Frigore sævô.
Fundis in Lechi pluviam favorum
Agmen, ex Sancto Cinerum sepulchro,
Omnibus gratum tribuens odorem
Tempore quôvis.
Cælitùs spargas petimus nitorem,
Flosculos nostros faciens olentes;
Insuper Musam tueare gratus,
Sancte Patrone.
Immemor non sis Gracij Vireti,
Cujus Arbustum redolens fuisti;
Illud ad præsens madefac benignò
Rore Polorum.
Dulce decretum fuerat Sabæis,
Ad sacros Phæbi reditus nitentis
Flexa per quadrum viridante lauru
Nectere serta.
Dum pari cultu nequeamus ista
Exequi, flores Tibi dedicamus,
Ex quibus possit fieri corona;
In decus Almum.

Pal-

Illustribus, Clarissimis, & Admodùm Reverendis Dominis,

DD. EXAMINATORIBUS.

Clarissimo & Excellentissimo Domino,

D. M. STANISLAO FILIPOWITZ,

Philosophiæ DOCTORI, ejusdemq; Regio, & Ordinario Mâtheseos PROFESSORI, Collegæ Majori, Geometræ jurato, ac interea Philosophicæ Facultatis

D E C A N O.

Illustri Clarissimo, & Admodùm Reverendo Domino.

D. M. MATTHÆO JOSEPHO K O L E N D O W I C,

Philosophiæ DOCTORI, ejusdemq; Regio & Tylicianæ Eloquentiæ PROFESSORI, Collegæ Majori, Ecclesiæ Collegiatæ S. ANNÆ Archidiacono.

Clarissimo & Excellentissimo Domino,

D.M. STANISLAO KUTLINOWSKI,

Philosophiæ DOCTORI, ejusdemq; in Collegio Minori, Brzezniciano PROFESSORI, Contubernij Iagelloniani SENIORI.

In vim observantiæ & gratitudinis;

Author Operis consecrat flores, ex Semiramidis horto, varij generis.

Cum Lammate.

Vos collecta tenete.

APollo Præses Bæotij jugi,
Jovis supremi progenies Dei,
Dux alme Musarum cohortis,
Arripias properans sonantem.
Lyram. Ciendo Castalides Tuas
Gratas Sorores Mnemosynes genus,
Dic ut citò plectrum resumant,
Ad sonitus celebres canendos.

Edatis omnes dulcia cantica,
Echoq; Thulen tendat in ultimam,
Quod Ternio noster Virorum
Belligerans retulit trophæa.
Ex hoste Stoæ Palladis inclytæ,
En purpuratus FILIPOWITZ adest,
Ductor Sophorum primus audax,
Alter Aristoteles probatus.
Hic per profundas Oceani means
Lymphas Sophiæ, pergit ad Insulam;
Classemq; nostram liberando,
Effugit omne maris periclum.
Pinus virescit suâpte Lubranscia
Plantata Posnæ, plena saporibus
STANISLAI perfusa rore
Verticibus petit alta Cæli.
Insignis hic laus, Astronomûm & decus,
Dici meretur, tum jubat inclytum,
Hunc non latet virtus Polorum,
Quid tribuant adimantve terris.
Tandem Probator mentis acuminum
Nostræ peritus ferre quid audeat,
Quot verba fudit promeretur,
Tot diademata construenda.
Non cedit illi fortior Hercules,
Pindi coruscans Stella KOLENDOWIC,
Ornans togatorum coronam,
Eloquiô velut igne clarus.
Orator almô flumine præpotens,
Scholæq; splendor dogmata pervia;
Industriæ mentis recessu,
Irradians rutilansq; docto.
Donabat olim fortibus & bonis
Cæsar coronas sidereas velut;
Ut laureatum pignus esset,
Flammigerum referendo Cælum.

Da-

Daremus & nos temporibus Tuis
Centum coronas, mille vel aureas,
Solus nisi Tu respuisses,
Despiciens tumidum omne fastu.
Tingatur ergò purpura bajulo
Dorso merenti, multa per ardua;
Ut Te Ducem gratè sophorum
Doctiloquum veneremur omnes.
Consurge grata extollere laudibus
Jam KUTLINOWSKI Musa Stanislaum,
Nostrum Caput lauru virenti
Qui redimit, tribuens honorem.
Vilescit omnis laudis adorea,
Quæ STANISLAUM clarificare vult,
Deprædicando nomen almum,
Et variô modulô canendo.
Quot docta movit prælia cum sophis,
Trophæa semper multa tulit bona:
Edisserens quævis acutè;
Ac etiam Themidi scienter.
Divisa quare Membra STANISLAI,
(Ut Priscus adfert Historiographus)
Ejus Patroni singularis,
Amplificent bona multa eidem.
Laurus virescens circumeat caput,
Nostris coronas frontibus addidit,
Qui nos decoravit novellâ,
Præficiens studijs honestis.
Ergo beati vivite Nestores,
Per longa terni ducite sæcula,
Fortuna ridens commoretur,
Mancipium peragens apud Vos.
Flores benigna fronte prehendite,
Semiramis quos crediderat solo;
Et qui corymbis nos beastis,
Laurea Vos faciat perennes.

FLORES
EX
Viridario Palladis Jagellonicæ,
IN
CORONAMENTUM TEMPORUM,
XI. VV. DD. PRIMÆ LAUREÆ
CANDIDATORUM,
Post rigidum examinis certamen
DECERPTI.

I. V. D. JOANNI JOSEPHO
De Paczoski
PACZOSKI,
Rosa purpurea dedicatur.

Cum Lemmate.

Candorem purpura servat.

I.

Mos erat antiquis priscô deductus ab ævo,
Heroas, palmam qui victo ex hoste referrent,
Floribus ex varijs nexô decuisse revinctos
Sertô. Te vidi strenuum præclare IOANNES,
Ex debellato capitali Palladis hoste
Magnas exuvias referentem non sine laude,
Te genus ac nomen reddit cum sangvine clarum;
Clariùs ast probitas extollit culmen in illud,
Quod spectat graviter præcelsæ mentis acumen.
Quare purpureô Proavûm qui insignis honore
Effulges, flores, cum tantis suscipe votis,
Sors adversa ruat, passu curratq; secundô
Prosper successus conjunctus Nestoris annis;
Ambiat omnis honor Te celsus Musa precatur.

II.

III. V. D. STANISLAO In Łazy DUNCZEWSKI,

Narcissus albi coloris, svave olens offertur.

Cum Lemmate.

Svavis odore micat.

NArcissum tribuens effero laudibûs,
DUNCZEWSKI Tibi comparans
Hunc florem niveum; qui prout eminet
Longè pulchrius alteris
Sic virtute micas, germine nobilis
Inter nos; Viridarium
Is valde decorat, Tu Cracium Polum:
Is formam nitidam tenet.
Tu verò remanes pectore candidus
Insignîs SOLEA Domûs;
Quam magnô Studiô cultius expolis:
Iam Te tollere versibûs
Cessans, vota fero, prosper odore sis,
Quô cunctos repleas olens.

IV. V. D. STANISLAO MAYKIEWICZ,

Rosa alba consecratur.

Cum Lemmate.

Candida candidis.

FLores cùm niteant sublimi Palladis horto,
Tu quoq; MAYKIEWICZ lumina sparge Tua.
Aspice qualesnam? redolens Rosa spargat odores,
Cunctaq; quâ surgunt florida parte vide.
Mentes Æthereas testor, Citharamq; sonantem
Te studio Pythium Conciliâsse Deum,
Nam quoties doctos video fluxisse liquores
Ore Tuo, toties dulcia mella puto,
Grande Tuæ pretium, mansuraq; gloria Musæ,
Exsuperat citharæ, fila remissa meæ.
Compono solum grato de pectore vota,
Tempore felici candidus emineas.

V. V.D. JOANNI CASIMIRO AUGUSTYNOWICZ,

Hyacinthus maximâ fragrantiâ plenus donatur.

Cum Epigraphe.

Pulchrum post vulnera nomen.

PUlchra defactò datur en canendi
Forma, sublimis methodusq; rerum,
Te celebrandi nitidè refulgens,
Alme IOANNES.
Nomen Augustum tribuit canoram
Echonem, carmen referunt Parentes;
Immò si Verbum premerent Camanæ,
Vox resonaret.
Te inclytum magni Genus OCHABOWIC
Sangvis & nomen decorat perenne;
Quem sui Musæ columen fuisse
Grande revolvunt.
Ædium Matris decus hic MARIÆ
Amplians ANNÆ Benefactor ingens,
Quas nisi sortes habuit, Sacratas
Fudit in Ædes.
Ergo Tu germen sobolesq; veræ
Tam Viri magni celebrisq; Musis,
Quàm probâ virtute micas, tám honore
Esto refulgens.

VI. V. D. IACOBO JOANNI CHROSTKIEWICZ,

Narcissum flavi coloris Author Operis offert,

Cum Lemmate.

Odorato germine ridet.

LAudando flores Musa Academici;
Pulchros vireti mittere non valet
Te Magne CHROSTKIEWICZ JACOBE
Delicium choreæ Camænûm.
Haud namq; possum non fieri memor,
Tui favoris, quem tribuis mihi,
Et porrigebas in lycæo,
Cum fueras socius laborum.

Cedit

Cedit Sophiæ laurea nunc Tibi
Novella, totô pectore gratulor:
Immunis ut sis apprecando
A vario minitante fato.
Præses supremus, frondiferæ scholæ
Sceptriger Doctor, cujus eras cliens,
Hic indolem spectando celsam
Te statuit redimire lauru.
Quare vovemus; Te faciant Dij
Feliciorem vincere Nestora
Possis ut annis, ac honore
Tempus in omne Tuum beatus.

VII. V.D. ADALBERTO MAICHROWSKI,

Rosmarinum dicatur quod virides germinat frondes.

Cum Lemmate.

Gratus ocellis.

Campi Roma potens floribus insiti,
Cum gaudens variô munere Chloridis
Iactaret, nimirûm Rosmaris huic erat
Summo deliciô, cingere quô bene
Clara ac magna Virûm tempora sueverat
Hinc cum muneribus talem ego MAICHROVI,
Florem dono Tibi, suscipe quem libens:
Hic gratus manibus, gratus & omnium
Floret sic oculis, ut nitidus manes:
Tu Virtutis amans, quæ superûm choro
Grata est. Ingeniô tum meritis potens.
Ergò Temporibus convenit iste flos,
Sudoris madidi largiferis Tuis,
Plausus inde meos, votaq; colligo;
Optans fausta Tibi pectore candidô.

VIII. V.D. CASIMIRO BRZEZINSKI,

Pæonia pro munere datur.

Cum Lemmate.

Cum spinis rosa fuissem.

Etsi florigerô sit celebris rosa
Hortô, non tamen unicè;
Et flos Pæonius tale decus tenet,
Quô pulchrè viget eminens.
Ejusdem pretij est, non careat modò
Spinîs, ut Rosa germinans.
Quem Tu suscipias gratô animô precor
BRZEZINSKI, decus in Stoa.
Nostrûm; qui petimus serta virentia,
Docti munera Apollinis.
Consecrare Tibi candida Lilia
Deberem; ut potè nomine.
Gaudes liligero, candidus omnibus
Hinc sis muneribûs precor.
Qui virtute rosas pulchriùs explicas,
Vivas clarus honoribus.

IX. V.D. JACOBO MAŁECKI,

Violæ donantur.

Cum Epigraphe.

Veris munuscula pulchra.

Molles ut Violæ crescentes vere novellô,
Præcurrunt flores, veris, odore alios.
Etsi sint minimæ, decus ingens surgit ab illis;
Sic Tu MAŁECKI delicium populi,
Palladij, quamvis Tibi sensûs ima placerent,
Esse tamen summus diceris ingeniô,
In rigido nostrum certamine clarus acutè.
Respondens fueras, dogmata digna Sophûm.
Magnis ergò parem meritis conferre Coronam
Certant, interea sufficiant violæ.
Parcas quod minimos flores Tibi munere reddam,
His etenim gaudent tempora verna modò.
Floribus ut vigeant, his fundo pectore vota,
De Te semper honor certet ubiq; precor.

X. V.D. MICHAELI PŁASZKOWSKI,

Rosa crocei coloris offertur.

Cum Lemmate.

Purpureo suppar colori.

Col-

COllibûs ſeptem redimita Roma
Conſules bellis habuit potentes;
Tullius quorum numerô manebat
Præſidium Urbis;
Eminens Hortenſius, arte fandi,
Quemve facundô roſeam loquelam
Explicant faſti memores, fuiſſe
Ore tenentem.
Artium quondam bona valla Athenæ,
Græciæ magnum decus, & Platonis
Porticus, jactant Periclem loquentem
Pænè tonâſſe.
Si modò vellent celebrare laude
Te coruſcantem probitate celſâ
Præſto PŁASZKOWSKI, Tibi cogerentur
Quærere lingvas.
Amplius quare ſino promovere
Jam Tuas dotes, niſi vota promo,
Vive longævus, ſupereſq; multa
Sæcula fauſtus.

XI. V. D. THEODORO KWITNICKI,

Lilium Convallium Author Operis dicat.

Cum Epigraphe.

Sabæum miſcet odorem.

NOn faſtu tumeant felicia rura ſabææ,
Quod totum Mundum thuris honore beent.
Aſt & Sarmaticus Campus convallia profert,
Quorum flos nares pulcher odore replet;
Hunc ego KWITNICKI decerptum Palladis horto
Florem gemmantem largior ecce Tibi.
Novi Te pariter culiâ Virtute nitere
Ac cognomentô, tum Artibûs ingenuis.
Ingeniô pollens rerum cognoſcere cauſas
Gnarus, ſcrutando ſidera quid tribuant?
Influxu Terris, illorum quis ſit & Ortus;
Quæ facies Cæli munera quæ dat humus?
Ergò compono de claro nomine votum,
Longævus vigeas proſpera cuncta tenens.

III. V. D. FRANCISCO de Paula KIELAROWICZ,

Authori Operis, ejuſdem Laureæ Candidato,
In ſignum Amoris & gratitudinis.

JACOBUS JOANNES CHROSTKIEWICZ,

Ejusdem Laureæ Candidatus.

Ad avita Lilia fasciculum liliorum adjungit.

Cum Lemmate.

Flores floribus addo.

SAturni Soboles, Alma soror Jovis
Juno; visceribûs quando tumentibûs,
Artus Herculeos impavidos alit;
Reddit lacte suo lilia candida
Quæ jungi Patrio KIELAROVI Tuo
Juste non dubites, Musa canit mea:
Regum quæ Capiti dat diademata,
Urbis Craciacæ, mænibus inclytis,
A dignis Patribus Tu veniens Nepos,
Quæ florum remanent Lilia Principes,
A nobis referas, pectoribûs damus.
Pulchro flore Tui nobilis ingenij,
Ætas digna manet, crescere quâ ferè
Vix primùm juvenis conspiceris, Tuìs
Annîs Major ades: spem facis inclytam
Quam non herba tenet verna reconditam;
De Te; sed probitas ingenium Tui
Maturum retegit, Cracio Apollini:
Facundus quoties fundis ab oribus
Svadæ dulcisonæ verba Demosthenes
Alter, ceû roseus cerneris omnibus;
Hyblæisq; favis nectere carmina.
Quam gnarus fueris! conijcimus bene;
Flores distribuis, nos quoq; floribus
Quos pulchrè retines Stemmate Patrio;
Flores adserimus munere pro Tuo,
Gratô vota damus pectore candida:
Sub lauru viridi sæcula Nestoris
Longævus Patriæ dulce solatium
Crescendo vigeas, prosper honoribus.

Permissu Magnifici Domini RECTORIS.



Lect. 1, Noct. de
fer. *Duæ Miss.* C.
com. præc. & fer.

M A J U S.

17 Sabb: Monicæ Vid. &c. Vesp. de sequ. com. Domin. & præced.

18 Domin. 5. post Pasch. Erici Reg. Mart. dupl. 9. lect. & com. Domin. CR. Credo dic. Vesp. Cap. de sequ. com. præc. item Domin. & S. ent. Virg.

J U N I U S.

19 v. Octava SS. Corporis Chr. In Vesp. com. sequ. & S. Silverij P. M.

20 vj. Æschili Ep. Mart. dupl. (*fuit 12. huius*) 9. lect. & com. S. Mart. CR. In Vesp. com. sequ.

21 Sabb. Ubaldi Ep. Conf. semid. (*fuit 16. Maÿ*) ℣. *in hym mut.* CA. Vesp. *ut in ordinar.*

22 Domin: 3. Dedicat. &c. In Vesp. com. Domin. & sequ.

23 ij. *Extra Crac. Vigilia*, Venantij Mart. semid. (*fuit 18. Maÿ*) 9. lect. & com. Vigil. *Duæ Miss.* CR. & Viol. Vesp. de sequ. *sine comm.*

J U L I U S.

6 Domin. 5. in. 5. post Pent. Octava SS. Apost. In Vesp. com. com. Dom. & sequ.

ij. *Crac.* Vena. Venantij Mart. semid. (*fuit 18. Maÿ*) CR. Vesp. à Cap. à Cap. de sequ. com. præc. *Extra Crac.* Mariæ Mariæ Magd. de Paz. Virg. semid. (*fuit 25. Maÿ.*) CA. CA. Vesp. *ut supra.*

iv. *Crac.* Mariæ Magiæ Magd. de Paz. Virg. semid. *25. Maÿ.*) CA. Vesp. Cap.